

1° Haeretici vel schismatici. Consuetudinem eos adhibendi tamquam abusum reprobant S. Inqu. (9 Dec. 1745; Coll. P. F. n. 604) et S. C. de P. F. (8 Sept. 1869; Coll. P. F. n. 632). Neque antiquiores AA. ut Laymann (l. 5. tr. 2 c. 9. n. 7) id licitum putabant, nisi cum gravis causa vel necessitas haereticum repellere prohiberet. Hodie autem, ex responso S. Inqu. 3 Maii 1893 (Act. S. S. t. 26. p. 448), quando patrinus haereticus a parentibus designatus est, neque sine gravi incommodo repelli potest, non licet eum admittere, et praestat ut baptismus conferatur sine patrino, si aliter fieri non possit.

2° Publice excommunicati et interdicti.

3° Publice criminosi aut infames. His nemo accensendus est nisi de gravi crimine vel infamia publice et manifeste constet: res enim valde odiosa est, a munere patrini repelli. Igitur repellendi sunt Massones notorii (S. Inqu. 5 Jul. 1878; Coll. P. F. n. 1863) et qui, impletis dumtaxat formis civilibus, maritaliter vivunt (Stat. Mechl. n. 225), minime vero (nisi lex specialis ita statuerit) quicumque annuam confessionem et communionem neglegunt. (Marc, Theol. Mor. II. n. 1486) Quotiens autem aliquis repellendus erit, poterit sacerdos, ad indignationem ejus minuendam, permittere ut tamquam testis baptismo assistat. Insuper, quia leges Ecclesiae non obligant cum incommodo gravi, tolerare potest ut tales munere patrini fungantur, quando sine gravi damno removeri non possint. (D'Annib. III. n. 286. nota 14) In hunc fere sensum respondit S. Poenit. 10 Dec. 1860 (Act. S. S. t. 26. p. 448) de iis qui publice censuram incurrerint, jubens tamen ut ad episcopum recurratur.

4° " Admitti non debent Monachi vel Sanctimoniales, neque alii cujusvis ordinis Regulares a saeculo segregati. „ (Rit. Rom.) Ratio praecipua videtur, ex his ultimis Ritualis verbis: ne, contra status sui obligationes, ad nimias relationes cum saecularibus inducantur. Verum haec prohibitio, utpote juris naturalis restrictiva, intellegenda est de solis Regularibus et Monialibus stricte dictis et certo sub hoc nomine venientibus. (n. 74) Immo plures AA. antiquiores (Bus. ap. S. Alph. n. 156; Struggl, tr. 9. q. 2. n. 67) excipiebant Mendicantes, cum Jus antiquius de solis Monachis loqui videatur. Sed, ob verba Ritualis universalialia, exceptionem istam non putamus admittendam. Excipiendi sunt tamen Regulares ad episcopatum eveci, cum pro iis penitus cesset prohibitionis ratio.

5° Pater aut mater baptizandi. Finis prohibitionis est ne conjux cognationem spiritualem cum conjuge contrahat: ac proinde cessat prohibitio quotiens nullum incommodum in ea cognatione contrahenda apparet, ut quandoque fit cum pater e sacro fonte suscipere vult filium suum illegitimum. (Lugo, Resp. Mor. l. 1. dub. 5)

TRACTATUS XIII.

DE CONFIRMATIONE.

CAPUT I.

DE MATERIA ET FORMA CONFIRMATIONIS.

§ I. DE MATERIA REMOTA ET PROXIMA.

159. I. Materia remota confirmationis est chrisma confectum ex oleo et balsamo, ab episcopo benedictum.

Hanc materiam indicat Eugenius IV in Decr. pro Armenis, eamque essentialem esse tenet communissima Theol. sententia. Plures controversiae de hoc argumento nondum Ecclesiae judicio sunt definitae. Sed, cum sacramentum periculo nullitatis exponere non liceat, quidquid saltem probabiliter ad valorem hujus sacramenti pertinet, sub gravi adhibendum est cum ea cura quae in partibus essentialibus ritus sacramentalis necessaria est. Theoreticam ergo disputationem Dogmaticis relinquentes, hic, pro scopo nostro, breviter recensebimus dubia huc pertinentia:

1° Nonnulli Theol. tuentur materiam proximam sacramenti consistere in sola manuum impositione, ideoque chrismationem ad ritus accidentales amandant. Horum sententia, quamvis a paucis foveatur nec solidis nitatur argumentis, tamen ex iis est " circa quas unicuique licet, eam sequi partem quae magis ipsi placuerit. „ (Bened. XIV Const. *Ex quo primum*, 1 Mart. 1756)

2° Oleum olivarum (excluso quolibet alio) esse materiam ad valorem requisitam, communissime statuitur, quia id solum simpliciter oleum apud veteres vocabatur, utpote maxime usitatum. (S. Th. 3. q. 72. a. 2)

3° Communior sententia tenet ad valorem sacramenti requiri ut oleo

misceatur balsamum, quamvis non sit necessarium ut e certa regione oriatur vel cum singulis olei partibus misceatur. (S. Alph. n. 162) Quidam tamen (quibus adhaeret D'Annib. III. n. 279) id negant, praesertim ob privilegium quod Paulus IV et S. Pius V Indis concessere, utendi, pro balsamo, alio quodam liquore qui ab iis balsamum vocatur, sed revera balsamum non est. (Aguirre, Collect. Max. Concil. t. 4. ad Conc. Liman. an. 1583) Ex hac controversia deducit S. Alph. (l. c.): in articulo mortis posse conferri confirmationem sub condicione cum solo oleo benedicto, nempe catechumenorum vel infirmorum.

4^o Sententia longe communior et probabilior tenet ad valorem quoque opus esse ut oleum fuerit benedictum ab episcopo. Id recentiores (Lehmk. II. n. 93; Ball. P. n. 6) merito deducunt ex decretis S. Inqu. 13 Jan. 1655 et 14 Sept. 1842 (Denz. n. 1494 seqq.), quibus tamquam temeraria et errori proxima damnata est prop. " Quod sacramentum extremae unctionis oleo episcopali benedictione non consecrato ministrari valide possit. " Nam idem a fortiori videtur intellegendum de confirmatione: siquidem oleum extremae unctionis a graecis presbyteris valide benedici constat, dum chrisma confirmationis numquam nisi ab episcopo benedictum abhibetur.

Disputatur autem inter AA. etiam recentes, num R. P. possit simplici presbytero dare facultatem chrismatis conficiendi. Affirmat Lehmk. (l. c.), quia occurrunt quaedam exempla talis facultatis datae. Negat Ball. P. (n. 7), quia facta allegata non sunt admodum certa; immerito autem urgetur ab affirmantibus argumentum a majori, nempe ab administratione sacramenti, ad minus, nempe ad confectionem materiae: quia hujusmodi argumenta in rebus positivis fallacia sunt, ut liquet e sacramento extremae unctionis, cujus materiam latinus presbyter conficere non potest, quamvis ordinaria potestate illud administret. (n. 416) Practice S. Sedes, dum presbyteris largitur facultatem administrandi confirmationem, semper addit condicionem: *chrismate ab episcopo confecto*.

Certum est ad sacramenti substantiam nihil referre utrum chrisma sit novum an vetus; graviter tamen peccare eum qui utatur alio quam *novo*, i. e. qui illo anno consecratus sit: in quem finem quotannis in die Caenae consecratur, veteri combusto. (S. Alph. n. 163)

160. II. Materia proxima confirmationis, juxta sententiam communissime receptam, duplex est: manus episcopalis impositio et sacri chrismatis unctio, quae duo saepe una voce *chrismationis* designantur.

Satis constat essentialiam manus impositionem eam tantum esse quae in unctione per manum episcopi facta continetur, neque ad valorem sacramenti requiri illam generalem manuum impositionem quae fit initio

totius ritus super omnes confirmandos. Etenim Bened. XIV Const. cit. declarat: " Nemini fas est asserere in Ecclesia graeca non adesse sacramentum confirmationis. " Graeci autem hanc manuum impositionem non faciunt. Ideo S. C. de P. F. 6 Aug. 1840 (Coll. P. F. n. 663) respondit non esse repetendam sub condicione confirmationem fidelibus qui eam, omisa prima manuum impositione, acceperant.

De modo peragenda istius unctionis, adverte eam faciendam esse *a manu*: nam, justa communissimam sententiam, invalida foret si ope instrumenti alicujus fieret, quia deesset essentialis manus impositio; — *b) pollice dextero*, non alio digito, quia hic est Ecclesiae usus, qui tamen probabilius sub levi tantum obligat (S. Alph. n. 165); — *c) in formam crucis*, quod videtur requiri ut verificetur forma: *Signo te signo crucis* etc.; — *d) in fronte confirmandi*, ut constat ex usu Ecclesiae quae semper unctionem frontis tamquam propriam confirmationis, unctionem verticis tamquam propriam baptismi agnovit: quare haec condicio communiter essentialis reputatur.

§ 2. DE FORMA CONFIRMATIONIS.

161. Forma usualis in Ecclesia latina haec est: *Signo te signo crucis, et confirmo te chrismate salutis in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti*; in Ecclesia vero graeca: *Signaculum doni Spiritus Sancti*. Graviter autem peccaret qui in forma latina omitteret vel verba quae actionem signandi exprimunt, vel ea quae actionem ungenti significant, vel tandem invocationem SS. Trinitatis. Nam tria haec saltem probabiliter *essentialia* sunt, ac proinde, vel uno omisso, sacramentum periculo nullitatis exponeretur.

Theoretice nobis praeplacet sententia quam sequitur D'Annib. (III. n. 281): substantialia esse tantum verba: *Confirmo te chrismate salutis*. Praecedentia enim significant characterem, quem forma significare non solet. Invocationem autem SS. Trinitatis non adhibet Ecclesia graeca, cujus forma procul dubio valida est: neque audiendi sunt qui, ut hujus argumenti vim effugiant, gratis asserunt huic formae adjungendam esse invocationem SS. Trinitatis quam Graeci precando praemittant.

CAPUT II.

DE MINISTRO ET SUBJECTO CONFIRMATIONIS.

162. I. Ordinarius minister confirmationis est omnis et solus episcopus. (Decr. pro Armenis)

Quicumque ergo episcopali caractere insignitus est, semper *valide* confert hoc sacramentum, quamvis sit excommunicatus, suspensus, etc. Ut vero *licite* agat, necesse est ut confirmationem in propria dioecesi conferat. Graviter enim peccaret qui in aliena dioecesi confirmaret, etiam proprios subditos, absque expressa Ordinarii loci licentia: quippe quam Trid. (Sess. 6. de ref. c. 5) sub poena suspensionis requirat ut pontificalia in alterius dioecesi exerceantur (n. 620, VIII). Ubi eam licentiam habet, non tantum loci incolas, sed peregrinos et vagos hoc sacramento munire potest, ex recepta consuetudine et tacito episcoporum consensu: nisi forte episcopus confirmandi expresse contradixerit.

Per se sub gravi *obligatur* episcopus ad subditos suos confirmandos et ad dioecesim hunc in finem circumeundam. Juxta communem sententiam (S. Alph. n. 175), graviter peccaret qui per octo vel decem annos differret circumire saltem per loca praecipua, nisi excusaret moralis impossibilitas. Non peccaret vero qui ob justam causam differret per tres aut plures annos, neque (probabiliter) qui nollet adire moribundos, etiam petentes: hoc enim incommodo gravi non caret, si (ut aequum est) pauperibus et plebeis aequae ac divitibus et nobilibus idem officium praestatur. (S. Alph. l. c.; Bened. XIV, de Syn. l. 7. c. 10. n. 9)

II. Extraordinarius minister confirmationis est presbyter a S. Sede delegatus. (Decr. pro Armenis)

Igitur presbyter per ordinationem suam fit tantum remote idoneus ad hoc sacramentum ministrandum, ac proinde per se illud invalide conferret. Sed non ita constat utrum, spectata tantum institutione divina, posset facultas confirmandi cuilibet sacerdoti ab episcopo suo fieri an necessario S. Sedis facultas requiratur: qua de re videsis Bened. XIV. (de Syn. l. 7. c. 8. n. 3 seqq.) Ad praxim tamen non facit haec controversia. Nam certum est in Ecclesia graeca valide conferri confirmationem a simplici presbytero (Bened. XIV Const. *Anno vertente*, 18 Jun. 1759), exceptis locis (ut Bulgaria, Cypro, Italia insulisque adjacentibus, atque inter Maronitas Libanenses) in quibus S. Sedes hanc potestatem ademit (Bened. XIV, de Syn. l. 7. c. 9. n. 4): quod etiam de presbyteris schismaticis intellegendum est, ut patet e S. Sedis responsis, ex. gr. e resp.

S. Off. 3 Jul. 1853, jubentis eos qui in talibus locis a presbyteris schismaticis confirmati fuerint, iterum confirmari absolute. In Ecclesia vero latina pariter certum est, S. Sedem jus talis facultatis concedendae sibi reservasse ideoque invalidam fore tum delegationem episcopi, tum confirmationem a simplici presbytero cum episcopali delegatione collatam. Solet autem S. Sedes in locis remotioribus concedere episcopis ut ad ministrandam confirmationem presbyteros suos deputare valeant. Videsis Coll. S. M. n. 33, XII.

163. III. Validae confirmationis subjectum est omnis et solus homo baptizatus, supposita in adultis ratione utentibus debita intentione de qua n. 125 dictum est. Certum est ex praxi Ecclesiae, quae antiquitus hoc sacramentum infantibus statim post baptismum conferebat: prout etiam nunc in Ecclesia graeca usu venit.

Regulariter autem, in Ecclesia latina, *illicite* confirmantur infantes rationis nondum compotes: siquidem Ecclesia jamdudum jussit hoc sacramentum iis tantum baptizatis conferri qui ejus naturam et effectus satis percipere valeant (Bened. XIV Const. *Eo quamvis*, 4 Maii 1745), nisi adsit consuetudo contraria, qualis in Hispania viget. Nihilominus ante rationis usum confirmari possunt infantes ob causam gravem, puta si periculose decumbunt, si praevideatur futura diutina absentia episcopi, etc. (Instr. S. C. de P. F. 4 Maii 1774, et resp. S. Inqu. 11 Dec. 1850; Coll. P. F. nn. 666 et 682) Immo moribundos confirmare expedit "ut confirmati decedentes majorem gloriam consequantur, sicut et hic majorem obtinent gratiam.", (S. Th. 3. q. 73. a. 8. ad 4) Idem dicendum de perpetuo amentibus (n. 146); pariter de iis amentibus qui aliquando, jam baptizati, rationis usum habuere, et merito praesumi possunt in statu gratiae (Ball. P. n. 23): etenim censendi sunt habere intentionem habitualement implicitam hujus sacramenti percipiendi. (n. 126) Ob rationem vero contrariam, non est conferenda confirmatio neophytis qui, in articulo mortis, plane rudes baptizantur neque satis instrui possunt ut aliquam intentionem hujus sacramenti recipiendi elicere valeant. (S. Inqu. 10 Apr. 1861; Coll. P. F. n. 685)

De consuetudine non confirmandi pueros nisi post susceptam primam communionem, haec scribit Leo XIII in Brevi 22 Jun. 1897 dato ad Episc. Massiliensem, qui eam in sua dioecesi abrogaverat: "Quae ratio istic aliisque in locis invaluerat, ea nec cum veteri congruebat constan-tique Ecclesiae instituto, nec cum fidelium utilitatibus. Insunt namque puerorum animis elementa cupidinum, quae, nisi maturime eradantur, invalescunt sensim, imperitos rerum pelliciunt atque in praecepta trahunt. Quamobrem opus habent fideles, vel a teneris, indui virtute ex alto, quam sacramentum confirmationis gignere notum est... Porro sic

confirmati adulescentuli ad capienda praecepta molliores fiunt, suscipiendaeque postmodum Eucharistiae aptiores, atque ex suscepta uberiora capiunt emolumenta. „

CAPUT III.

DE CONFIRMATIONIS NECESSITATE ET CAERIMONIIS.

164. I. Nulla datur gravis **obligatio** suscipiendae confirmationis. Graviter tamen peccaret qui hoc sacramentum contemneret, seu culpabili iudicio parvi faceret.

Ratio hujus sententiae, quae olim erat communissima Theol. cum S. Thoma (3. q. 72. a. 1. ad 3), plana est, vid. nullam afferri posse legem qua gravis illa obligatio probetur. Nulla lex divino-naturalis : nam sacramentum istud natura sua praebet majus robur ad vincendos salutis hostes : hoc autem subsidium, quamvis in se praestantissimum sit, non est simpliciter necessarium et aliis quoque mediis, ex. gr. oratione, communione, etc. obtineri potest. Nulla lex positiva : nam quae e S. Scriptura, ex. gr. Act. I, 4, afferuntur, spectant tantum ad Apostolos qui jussi erant missionem suam non incipere antequam a Spiritu Sancto dona supernaturalia miraculorum, linguarum, etc. accepissent. Attamen S. Alph. (n. 182) multique recentes AA. (ex. gr. Aertnys, Th. Mor. II. n. 60) hanc nostram sententiam relinquendam esse duxerunt ob duplex documentum, quo putarunt evinci gravem suscipiendae confirmationis obligationem. Prior est Const. Bened. XIV *Etsi pastoralis*, ubi de Graeco-Italis scribit : “ Monendi sunt ab Ordinariis locorum eos gravis peccati reatu teneri si, cum possint ad confirmationem accedere, illam renunt ac neglegunt. „ Verum haec verba congrue explicantur de solis Italo-Graecis qui renuerent ad confirmationem denuo accedere, quasi haberent validam primam, contra jussa S. Sedis, a simplici presbytero collatam. Hunc restrictum sensum iis verbis subesse eo verisimilius est quod non fuit unquam in more aut Ecclesiae aut Bened. XIV ut communes Scholae sententias contemneret aut posthaberet. (Ball. P. n. 25) Posterius, cui innituntur, documentum est Instructio S. C. de Prop. F. 4 Maii 1774 (Coll. P. F. n. 666) qua, inter alia multa de confirmatione manifeste docetur illud sacramentum sine gravis peccati reatu respui non posse ac neglegi, cum illud suscipiendi opportuna adest occasio. Verum satis notum est in hujusmodi Instructionibus minime dirimi controversias inter Theol. vigentes, neque ipsa S. C. de Prop. F. intendere potuit ut novam legem conderet : quod in ejus potestate relate ad

universam Ecclesiam non foret. Quin et S. Inqu. ad quam magis pertineret hujusmodi quaestiones dirimere, recentius (20 Jun. 1866) nostram doctrinam in aliqua Instr. pro Vic. Ap. ad Gallas diserte proponit : “ Ut docet Sanctus Thomas (3. q. 72. a. 8. ad 4), omnino periculosum esset si ab hac vita sine confirmatione migrare contingeret, non quia damnaretur, nisi forte propter contemptum, sed quia detrimentum perfectionis pateretur. „ Quod saltem sufficit ad elidendam vim argumenti ex Instr. S. C. de Prop. F. deducti.

Sententia nostra praesertim usu venire potest cum iis qui dubitant num jam valide confirmationem acceperint vel magno pudore deterrentur ab ea petenda in aetate jam satis provecta, ubi omnes eam in pueritia accipere solent. Neutris de gravi obligatione sermo injiciendus, sed consiliis et exhortationibus standum est. Iterationi condicionatae confirmationis applica dicta de sacr. in genere, n. 117 seqq.

165. II. Ritus servandos ab episcopo in collatione confirmationis, exhibet Pontificale Romanum ; modum tenendum a simplici sacerdote, idem sacramentum ex delegatione S. Sedis administrante, definit S. C. de P. F. Instr. cit. an. 1774. Haec per se sub gravi obligant, quamquam quaedam minoris momenti, ut alapa danda, sine gravi peccato omitti possunt. (S. Alph. n. 184) Ex responso S. Inqu. 12 Febr. 1851, adstante causa, potest episcopus privatim confirmare absque mitra et baculo pastoralis, adhibita stola. (Coll. P. F. n. 693)

Confirmatio quolibet tempore conferri potest ; regulariter autem intra ecclesiam conferenda est. Attamen ex ipso Pont. Rom. “ potest conferri minus sollemniter quocumque die, hora et loco, ex causa ad arbitrium episcopi. “ Quare S. Alph. (n. 184) censet venialiter peccari ubi conferatur extra ecclesiam, nisi interveniat aliqua causa excusans : quae, cum arbitrio episcopi dijudicanda relinquatur, practice vix aberit. Exempla talis causae sunt ex cit. Instr. an. 1774 : si pueri aegrotantes confirmandi sunt, vel adulti qui ad ecclesiam, quacumque de causa, legitima tamen, accedere nequeunt.

166. III. In confirmatione adhibendi sunt **patrini**, de quibus procedunt pleraque ex iis quae supra (n. 152 seqq.) de patrinis baptismi dicta sunt. Quaedam specialia de patrinis confirmationis adjiciemus :

1^o Sub gravi urget obligatio adhibendi patrinum (S. Alph. n. 185) Hic, nisi necessitas cogat, diversus esse debet a patrino baptismi. (Inst. cit. an. 1774) Consuetudo contraria tolerari potest : sed episcopus curare debet ut eam pedetentim evellat. (S. C. C. 16 Febr. 1884 ; Coll. P. F. n. 639)

2^o Plures quam unum patrinum pro singulis masculis confirmandis

vel unam matrinam pro singulis puellis adhibere non licet. Insuper (quod in baptismo non requiritur) necesse est ut ejusdem sexus sit patrinus vel matrina cum confirmando vel confirmanda. Constat ex Pont. Rom. et Instr. cit.

3° Pontif. Rom. statuit : " Nullus praesentet nisi unum aut duos, non plures, nisi aliter necessitas suadeat, arbitrio episcopi. " Ideo ut unus patrinus pro multitudine confirmandorum agat, requiritur vel moralis impossibilitas plures obtinendi vel Indultum Apostolicum. (S. Inqu. 16 Jun. 1884; Coll. P. F. n. 696)

4° Patrinus debet implevisse annos quattuordecim, et esse confirmatus; si confirmatus deesset, praestaret sacramentum sine patrino conferre. (Instr. cit.)

5° Ut munus valide exerceatur et spiritualis cognatio contrahatur, oportet ut patrinus confirmandum tangat. Juxta Pont. Rom. adulti debent ponere pedem suum super pedem dexterum patrinus sui. Sed sufficit ut patrinus ponat manum suam dexteram super humerum dexterum confirmandi. (S. C. R. 20 Sept. 1749; Coll. P. F. n. 689)

6° Ab hoc munere arcentur iidem qui prohibentur esse patrinus in baptismo. (n. 158) His accenset Instr. cit. eos qui praeceptum paschale omiserint. Hoc ad summum obligat in locis missionum, pro quibus ista Instructio edita est. Cfr. dicta n. 158, 3°.

7° Patrinus confirmationis non contrahit obligationem instruendi confirmatum, excepto casu satis raro quo iste nondum instructus sit et alius desit. (S. Alph. n. 187) Quasdam obligationes juxta Pont. Rom. enuntiat Instr. cit., sed parum ad praxim facientes.

TRACTATUS XIV.

DE EUCHARISTIA.

167. Eucharistia est sacramentum in quo, post panis et vini consecrationem, D. N. Jesus Christus vere, realiter ac substantialiter, sub specie illarum rerum sensibilium continetur. (Trid. Sess. 13. c. 1) Hujus catholicae veritatis explicationem et probationem Dogmaticis relinquimus. In decursu autem hujus Tractatus ea tantum de natura hujus augustissimi sacramenti et reali Christi praesentia recolemus, quae necessaria sunt ad quaestiones morales pertractandas.

Cum Eucharistia non tantum sacramenti sed et sacrificii rationem habeat, multi AA. duplicem partem in praesenti argumento distinguunt: priorem, de Eucharistia qua sacramentum est; posteriorem, de Eucharistia qua sacrificium est. Facilem partitionem et nos sequemur.

SECTIO I. — DE EUCHARISTIA QUA SACRAMENTUM EST.

CAPUT I.

DE MATERIA ET FORMA EUCHARISTIAE.

§ I. DE MATERIA.

168. Agimus hic tantum de ea quae ab omnibus dici solet materia Eucharistiae remota, seu de rebus e quibus sacramentum illud conficitur. Nam nihil speciatim hic dicendum de materia ejusdem proxima: qua locutione, alii species permanentes (Bus, ap. S. Alph. n. 194), alii usum materiae requisitae in ipsa consecratione (Gury II. n. 281) designant.